

tempore præsto sunt, simulatq; fortunæ hiemem uiderint, deuolant omnes. 4. ad Heren.

94. Amici noui ueteribus non sunt anteponendi, ut equis uetulis teneros anteponere solemus. Non enim amicitiarum esse debent, sicut aliarum rerum, satietates: ueterrima quæque esse suauissima debent. Nouitates tamen non repudiandæ: uetustas autem suo loco conferuetur. In Lælio.

95. Ut monere & moneri proprium est ueræ amicitiae: & alterum liberè facere, non asperè: alterum patienter accipere, non repugnantly: sic habendum, nullam in amicitijs pestem esse maiorem, quam adulationem, blanditias, assentationem. In Lælio.

PETRVS LAGNERIUS
COMPENDIENSIS FRANCISCO
ab Oliua Tholosano, summe spei
adolescenti S.D.P.



PTIMA hæreditas, mi Franciscæ, que liberis a patribus relinquitur, est uia uirtutis, multarumq; artium cognitio atque scientia, quæ mihi iuxta Ciceronis sententiam, uidetur omni patrimonio præstantior. Itaque non possum satis probare singularem illam patris tui in promouendis studijs tuis diligentiam, qui a ceteris patribus uoluntate longè et studio dissimilis, hoc sibi solum credit negotij dari, optimis ut & moribus

moribus & litteris tua illa rudis ætas imbuatur, etsi præpostera
 sit hodie multorum cura & diligentia, qui nihil eo habent negle-
 ctius, quo ijs nihil esse debet commendatius. in eo tantum occupa-
 ti, ut habeat filius unde splendide uiuat, non admodum solliciti, ut
 habeat unde recte uiuat. corporum magnam, animi uero & men-
 tis aut nullam, aut seram curam habentes. Præclarè igitur pater
 tuus, qui non tam pulchrum ducit bene nasci, quam præclarum be-
 ne institui. cuius nunc necesse est, ut ingrauescens ætas in tuis mo-
 ribus & litteris conquiescat. si modo is esse uis, quem te semper
 esse uoluit. Mihi profectò dubia non est, aut obscura illius erga
 te uoluntas, quæ tibi ut nullo loco defuit, sic nullo quoque tempo-
 re deerit. tu uide ipse tibi ne desis. Magna est illius de te opi-
 nio, nec uulgaris multorum de tuis studijs expectatio, quæ tibi nõ
 retinenda modo aut sustinenda, sed cura & studio augenda & am-
 plificanda est. Scito enim, ea abs te expectari, quæ ab ingenuo ado-
 lescente & Ioannis ab Oliua & aduocati regij filio expectanda
 sunt. fac tibi paternæ uirtutis maiorumq; tuorum ueniat in men-
 tem recordatio, quæ te officij tui obliuisci non sinet, quæ te dies
 noctesq; commouebit, atq; perficiet, ut aliquando excitatam de
 te opinionem tueri & sustinere possis. Atque ne ipse boni & stu-
 diosi præceptoris officio uidear defuisse, ego te, cum multis de
 causis, tum amore incitatus meo, rogo & moneo, ut candidis mo-
 ribus & litteris, ad quas tu natus uideris, omni cura & studio in-
 uigiles. quod quo fiat commodius, ego Ciceronis eas sententias,
 quæ ad pietatem Christianamq; religionem uidebantur pro-
 xime accedere, tibi & dico et deuoueo. quas ut diligen-
 ter amplectare, studiose euoluas, totusq; in ijs uer-
 sere, pro mea in te beneuolentia & hortor
 & obsecro Vale, Tholosæ octauo
 Cal. Septemb. Anno
 M. D. xli.